

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

possent. Nec potest satiari eo libro legendo & relegendo. Et quidem ab omnibus suspicionibus, quibus apud ipsum fuisti gravatus, te vindicasti. Ceterum, quia potissimum & merito conviciandi & depravandi libidinem taxas, curavit Princeps quædam ipsius Germanica in Latinum verti, quibus ad varias variorum ordinum imagines, à quodam pictore temerè effictas, miro modo applaudit, & ad proscindendum & infamandum instigat. Idque, si superis placet, sanctæ scripturæ prætextu, proinde hic tibi mitto, quo iterum cognoscas, te non injuria hanc dicam ei adscriptisse. Sunt & alia istiusmodi permulta vernacula lingua adeò impudenter edita, ut profus mirum sit, unum esse Christianum hominem, qui laudet. Sed quis potest omnia & cum tanta impudentia in latinum vertere. Admonuit etiam jam ante trimestre literis Principem paulò civilius, quam alias assolet, sed tamen non sine ingenti fastu & regalibus minis. Verum Princeps ita respondit, ut multi nihil ei falso adscriptum, quantumvis alias iniqui, cogantur fateri. Atque ut palam cognoscas, ipsum Principem tecum per omnia sentire, habes hic hujus & illius Epistolam in latinam linguam translata. Expectamus autem à te non solum liberi arbitrii egregiam defensionem, sed & confutationem aliorum omnium, quibus causam illam vestit, & imprimis, quod Ecclesiam ad nihilum redigit, & ex aliquorum corruptis moribus de ipsius doctrina & institutis Hussitico more pronunciat: atque quod verbum DEI non sine tumultu propagari posse contendit. Quæ certè si falsa esse, ut nihil addubitemus, persuadebis, non solum in libero Arbitrio victoriam obtinebis, sed & omnia alia ipsius, quibus vulgo perstringit oculos, subvertes, & eos ad Ecclesiæ unitatem revocabis, qui temerè discessere. Idque ut strenuè, sicuti cœpisti, perficias, à JESU Christo tibi precamur gratiam. Ceratinum non potui hic tenere, atque ut postea comperi, ea de causa, quod vidit Principem non posse ferre eos, qui semel susceptum vorum negligunt. Audio enim, quod sit sacerdos, pro quo tamen noluit agnoscere. Scripsi tibi, jam annus est, ex Eslingen de nonnullis in aurem, & quamvis hæctenus nullum acceperim responsum, video tamen, te partim effecisse, quod desideravi & in instituta disputatione plenius te effecturum spero. Semperque bene vale. Lipsiæ, XIII. Calendas Maji, M. D. XXVI.

Simon Pistorius, Doctor.

XV.

Nicolao Gerbellio S. D.

Recitavit mihi nuper ex literis tuis Hulderichus noster, te cupere scire, uti tristissimis his temporibus vivam &c. Ego vero, mi Gerbelli, vivo quidem, sed valetudine præter ætatem afflictâ, neque enim annum egressus sum

M m m m m

quin-

quingagesimum. Nam præter infinitas curas & sollicitudines, quibus tum publice tum privatim exerceor, prolixus carcer omnes vires ita extenuavit, ut plerosque sexagenarios videam me ipso vegetiores. Fortasse præstiterit, non esse nos inspectores calamitatum, quæ imminent Germaniæ, atque ea de causa fortè nobis est ereptus Lutherus. Si, quid de eventu comitorum divinem, quæris, idem, quod Sibylla Æneæ respondit, referam: bella horrida bella. Heri à Philippo & Joachimo accepi literas, è quibus intellexi, urrumque rectè valere & superesse non nihil spei, fore, ut utraque schola restitueretur, modo ne denuo conflagret Saxonia, quod ut metuamus, cogit nos proscriptio Magdeburgæ, quæ sola si superis placet, superstes erit universæ Germaniæ. Brunsviga in deditionem recepta est, indicta multa quinquagies mille aureum, atque ut satisfaciat Henrico Brunsv. Duci atque reliqua, quæ posthac imperata fuerint, exequatur. *Ποιὲ τὸ ὑμῖν ἐπιπέδον* quædam apud nos narrantur *ὡς ἰσχυρὰ*, quæ optarim esse falsa. Nam ut id negotium alioqui ac nullo non loco ac tempore est odiosissimum, ita haud scio, an cerebrum habeat, qui hoc tempore hanc Camarinam movere audeat. Etsi autem certi aliquid hac de re scire vehementer cupiam, tamen non onero te vel labore vel periculo scribendi. Vale, mi charissime Gerbelli, & quod rarius ad te scribo, non mea negligentia, sed temporum injuria fieri scito. Postridie Thomæ, 1547.

Hieronymus Paumgartner.

XVI.

omnium facile Principi ac bona
 stauratori Domino D. Domino suo honorandissimo. Vir excellentissime, &c. Accepi tuas literas, quibus intellexi, missum à me poculum ad te pervenisse. Non erat necessitas, accuratè agere gratias. Nam tibi de me optime merito majora debeo, totusque in ære tuo hæreo. Non rem ipsam ponderare velis, quæ parvi est momenti, sed animum tibi serviendi promptum amplecti. Ais, in senem beneficium non esse conferendum. At ego ita sum affectus, ut non modo amicos senes, sed fato etiam defunctos soleam deamare, ac eorum memoriâ delectari impendio. Zafius, ut scis, erat mihi amicus sincerus. Hujus ego demortui filium, Joannem Ulrichum, nunc curo Patavii meis impensis imbuedum artibus liberalibus, præcipuè, quod is præ cæteris liberis formâ genitorem referat, uti ad me perlatum est. Quod si æquum est de amicis, qui è vita excefferunt, bene mereri, quanto magis tibi vivo vel seni debeam gratificari? Tuus sum, quin-

cus